



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XI. Quæ Lacrymæ pretiosissimæ? Dominica IX. Post
Pentecosten. Videns Civitatem flevit. Luc. 19. v. 41.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XI.

Quæ Lacrymæ pretiosissimæ ?

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Videns Civitatem flevit, Luc.

19. v. 41.

S. I.
Deceantne
Virum fle-
tus.

Nter Philosophos veteres solennis ventilabatur quæstio: deceantne Virum lacrymæ? negabant Stoici, quibus Plato annuit lib. de Republ. dial. 3. lacrymæ à viris claris removendæ sunt. licet lacrymari plebi, inquit Ennius, Regi honestè non licet. Unde Alexander Macedo tragœdum capitis damnavit, quòd funebri dramate Regi lacrymas excussisset. fortè ex hac quoque causa Davidem reprehendit Joab, quòd fletet Absalonem. Ezechias convertit faciem ad parietem, nè lacrymas affidentibus ostentare videretur, inquit D. Hieronymus. Aristotelici è contra affirmabant honestum esse lacrymari, est enim hoc naturæ conveniens, & deservit ad ejus conservacionem; quam sententiam D. Thomas l. 2. q. 29. multis tuetur. Certè heroes plurimos flevisse testantur Historici. Flevit exercitum suum ex integro virorum millione conflatum Xerxes, quòd intra sæculi non integri spatium à morte penitus difflandus esset. Flevit Carthaginem Publius Scipio, ut fumantes cineres suis restinguere velle lacrymis videretur. Flevit Henricus Imperator

Trojam Apuliæ urbem obsidens, cum pueros & puellas lacrymis maddentes, ante tentorium Cæsareum supplices spectaret, quibus ipse collacrymatus, veteres iras in lacrymis suis extinxit. Quid multis? flevit Salvator noster. de quo Hipponensis Orator Serm. 35. flentem illum frequenter invenias, nunquam verò ridentem. Flevit super Civitatem, Luc. 19. flevit in suscitacione Lazari Joann. 11. flevit in cruce teste Apostolo Hebr. 5. v. 7. imò passionis tempore ait Petrus Calentinus flevisse Christum sexages septies millenas & ducentas lacrymarum guttas. nec in passione solummodo, sed in omni vita flevisse Christum non dubitemus, ita ut de se dicere potuerit: totum poenè meum vivere flere fuit. ex quibus Salvatoris nostri lacrymis elucidanda hæc venit quæstio, quænam pretiosiores sint lacrymæ, an quæ per oculorum crystallos eliquantur, an quæ à corde absorbentur, & lacrymæ siccæ vocitantur? Erit hæc *Pretiosa* quæstio, quia in lacrymarum pretium solvetur.

Author recens adeò lacrymas sanctè fufas appretiat, ut dicere audeat: lacryma thesaurus est ipsam locupletans Sanctissimam Trinitatem,

S. 2.
Aquæ super
caelos
sunt lacry-
mæ poen-

tentium,
quas ut au-
geret DEi
Filius, Ho-
mo factus
est.

tem, ita ut accedat ad omnipotentiam æterni Patris, efficaciam! Sanguinis Verbi, & Virtutem tribuat fecunditati Spiritus Sancti. Dicitur audax nisi eo sensu accipias, quem mitior effert pietas. Die alterâ ab orbe creato dixit DEUS: *fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis* Gen. 1. v. 6. sunt ergo super cœlos aquæ? ita est. expandit in has desideriorum suorum vela David, dum Spiritu illo plenus, qui ferebatur super aquas, exclamat Ps. 148. v. 4. *aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* quod si Oratorem aureum, quid sibi velint aquæ super cœlos, interrogemus, respondebit esse thesaurum divinum. quot guttæ sunt, tot gemmæ sunt collectæ à poenitentium maxillis, absterget enim DEUS omnem lacrymam Ap. 7. v. 17. *de aquis stetit & poenitentium* (verba sunt Chrysostomi) *lacrymis cantabo illud David: aquæ omnes quæ super cœlos sunt.* Ipse cœlorum Rex ut has auget aquas & cumularet thesauros suos in terram descendit, & propter lacrymularum vel unius guttulam exinanivit semetipsum, vendidit omnia quæ habuit, & emit margaritam pretiosam. Sententia hæc est Sancti Bernardini Senensis de dignitate animæ afferentis ideo à Verbo assumptam carnem, ut flere posset; unde prima infantuli divini actio fuit lacrymarum profusio: *vagit infans inter arcta conditus præsepia.* flevit in vita. *videns civitatem flevit super illam* Luc. 19. v. 41. Si toties flevit quoties vidit, audeo dicere, nunquam non flevit, totumque illius vivere flere fuit, siquidem in oculis suis, dilectam civitatem tulit, in perpetua recordatione piissimè circumtulit, nec abire diem passus est, quo non repeteret omnes illos Psalmos, in quibus Jerusalem fit mentio, quorum nume-

rum curiosa pietas invenit decimum tertium. Certè qui memor quotidie passionis suæ fuit, immemor Solymæ suæ esse non potuit. flevit denique cum vitæ dicendum erat Vale, quod dixit *cum Clamore Valido & lacrymis* Hebr. 5. v. 7. audiamus dulcem dulcissimi nominis cultorem: *quia DEUS propriè plorare non poterat, propterea assumpsit naturam humanam, ut posset plorare.*

Spiritus Sanctus jam inde à primordio mundi super aquas ferebatur, ut suos in lacrymas testaretur amores. ideo columbæ formam assumpsit, quando super Dominum in fluente poenitentiae stantem visibiliter comparuit: *in specie columbæ visus est.* Marci 1. v. 10. ut constaret mundo, quantum Spiritui Sancto placeant gemitus & lacrymæ, qui etiam *gemitibus inenarrabilibus postulat & interpellat pro nobis* Rom. 8. v. 26. Et verò cur idem Spiritus Sanctus in specie ignitarum lingvarum Apostolis sese communicaverit, causa non ultima fuit, quod exigeret ab Apostolis aquam lacrymarum, siquidem lingua ignea nihil magis appetit quam aquam teste ipsomet Epulone in tormentis, qui Veritatem istam fatetur, dum extremum digiti, & qualis digiti? Scabiosi & ulcerosi, qualis erat Lazari, in aquas intingi, suamque refrigerari linguam anhelat. Nisi placeat potius ingeniosa illa ratio, cur in lingvarum ignearum specie venerit Paraclitus, videlicet quia lacrymis pleni erant Apostoli, præ desiderio Spiritus accipiendi, & præ dolore discessus Christi. Fundatur hæc opinio in illa S. Guerrici sententia Serm. 2. de pentec. quâ utrumque complectitur conceptum Columbæ & Lingvæ. *Nescio an Spiritui Sancto gratior sit alia vox, quam gemitus Columbæ (ecce primum) & puto quod neque in A-*

S. 3.
Spiritus
Sancto
quàm gra-
tæ Lacry-
mæ.

post-

postolis locum invenisset Paracleti
consolatio, nisi quia lugebant (ecce se-
cundum de igneis lingvis) se esse
desolatos :

Sed si tam grata Divinitati est
nostra lacryma, cur Magdalene dicitur:
*noli me tangere, nondum enim
ascendi ad Patrem* Joann. 20. v. 17.
dedisset certè Magdalena lacrymas,
cum unguentum aliud præ mani-
bus non habuerit, flevisset si tetigis-
set. Cur viduæ in Naim dicitur:
noli flere Luc. 7. v. 13. cur lacrymæ
piis mulieribus interduntur Luc.
23. v. 28. *nolite flere super me?* Ad
hanc quæstionem ut respondeam,
confero me ad ascendentem in cœ-
los Salvatorem ubi invenio relicta
in lapide vestigia pedum, attonitos
& aperto ore ac oculis in statuarum
morem obrigescens video Apo-
stolos, & vocem insuper percipio
Angelicam: *Viri Galilæi quid sta-
tis aspicientes in Cœlum? hic JESUS,
qui assumptus est à vobis in cœlum sic
veniet* Act. I. v. II. nihil ad ista re-
spondetis ò Apostoli? pace vestrà,
ego pro vobis. Parcite boni An-
geli, nullus hic Discipulorum defe-
ctus est reprehensione vestrà di-
gnus, imò amoris excessus est omni
vestrà commendatione dignissi-
mus. ubi oculi, ibi amor. amatur u-
nicè amor cordium JESUS, quid mi-
rum si in abeuntem defigantur o-
culi, ut dent comitivam Dilecto o-
culi, cum pedes non possint? Sini-
te Apostolos cœlum potius aspice-
re quàm terram, ut porrò terra for-
deat, postquam cœli gloriam aspe-
xerunt. Ipsi vos in faciem tam a-
mabilem desideratis prospicere,
num gratiam tantam clientibus ve-
stris, imò fratribus vestris minore-
nibus invidetis? non tacent ad ista
Angeli, sed facundè respondent,
cum tacent. audio quid dicant in
aurem: negotium Domini nostri
agimus, qui cum hodie triumphi sui

solennem in Cœlos ingressum cele-
brare debeat, detineri amplius à vo-
bis non potest; vestri enim oculi la-
crymarum pleni procedere non fi-
nunt, & nisi nubem cœlum interpo-
nat, nec hodie nec cras intra cœlo-
rum tecta se recipiet. nimis quàm
adamat roridos vestros oculos, &
plus lacrymis vestris constringitur,
quàm funibus Samson. Confide-
rat hæc Augustinus & exclamat:
*ò lacryma tua est potentia, vincis in-
vincibilem, ligas omnipotentem* Serm.
in Ps. 41. ideo Magdalena flere pro-
hibetur, nè regressum in cœlum, &
mulieres illæ Solymææ, nè progres-
sum in opere redemptionis retar-
dent; vidua verò Naimitica, nè o-
mnes suscitare cogatur mortuos
Dominus Vitæ.

Arbitrium penes vos sit Audi-
tores, uter Doctorum plus in lacry-
marum laudem contulerit Petrus
Cellensis dicendo: *Lacryma aut fa-
cit aut in-venit paradysum*, an S. Ber-
nardinus Senensis Serm. 2. de pass.
Dom. *Si anima unius damnati pos-
set habere unam guttam lacrymarum,
DEus illam salvaret.* infelix ille hel-
luo Luc. 16. dum ab Abraham vel
unam aquæ guttam petit, totum si-
bi extingvi infernum volebat. equi-
dem si totum mare in infernum in-
flueret, scintillam unicam non sopi-
ret, quid ergo gutta faciet? imò ait
Petrus Cellens. lib. de pan. c. 15.
non intellexit epulo aquam ele-
mentarem, sed pœnitentiæ guttu-
lam salutarem: *parum petiit sed non
impetrauit, quia non aquam elemen-
tarem posebat, sed guttulam lacryma-
rum, cujus tanta est vis, ut etiam va-
leat Gehennam exstingvere.* putabā
hoc licere soli Christi Sangvini, quo-
modo ergò & lacrymæ privilegium
Conceditur: respondet dubio meo
S. Augustinus Serm. II. ad fratres in
Cremo: *lacryma est passionis Christi
vicaria.* adeò sanctificavit Christus
lacry-

S. 5.
Lacryma
extinguit
infernum.

lacrymam, ut constituerit sanguinis sui vicariam. potest vicarius per gratiam, quod principalis ejus per auctoritatem debitam.

§. 6.
Lacrima
pœnitent-
iæ adim-
plet passi-
onem Chri-
sti; ideo a-
qua cum
sanguine
profluxit è
Latere.

Scandalizaret me illa Pauli sententia Coloss. I. v. 24. *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi*, nisi lumen ex dicta Augustini accepissem sententia adimplet ea Paulus quæ desunt; quid ergò deest passioni Christi? nunquid *copiosa est redemptio*? excessus est in omni genere infinitus? ad infinitum autem sicut nulla proportio est finiti, sic nec complementum passionis Christi potest esse mortificatio Pauli. at quis est, qui Doctorem istum gentium in ipsa universitate cœli tertii promotum arguat erroris? qui arcana verba audivit, arcana etiam locutus est, ideo adimplere se ait quæ desunt, quia sine cooperatione nostra, sine dolore & pœnitentia nostra non est efficax in nobis sanguis Christi. peccavit Petrus, peccavit Judas, pro utroque passus est Christus, sed quia Petrus lacrymas, dedit & *flevit amarè*, Judas lacrymas non dedit, idcirco non fuit Christi sanguis efficax in Juda, sicut in Petro. lacryma tua ò peccator facit tibi passionem Christi esse efficacem.

Matth. 26.
v. 75.

Pulcrum mysterium, quòd ex latere Christi exierit sanguis & aqua juxtà oculati testis assertionem Joann. 19. v. 34. *exiit sanguis & aqua*, quasi sanguis Christi nolit esse sine aqua, sitque certissimum signum in illis completæ & efficaciter applicatæ passionis Dominicæ, si jungatur aqua cum sanguine. prius sanguis, postea aqua, prius Christi passio, postea nostra compassio, & syncerus de peccatis dolor. qui pro Christo dare non potest sanguinem, fundat aquam & hanc illi commisceat. ipse Christus sanguinem non dedit sine aqua. pulcrum iterum mysterium! si quæram ex

Magno Cypriano qualis illa aqua sit, respondebit lacrymarum: *in oblatione pro redemptione mundi è latere Christi exiit sanguis & aqua, hoc est, sanguis & aqua lacrymarum*. lacrymas pœnitentium & dolentium in thesaurum cordis sui abscondit Christus, easque commixtas sanguini suo Patri obtulit, & ut vicariæ passionis forent, impetravit, exauditus est pro sua reverentia, & tunc exauditus, quando preces obtulit cum lacrymis. Certè quòd aquam illam ex latere profluam lacrymarum aquam vocare potuerit Cyprianus gratiosum fundamentum in Ps. 55. inveno, ubi sic propheta: *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*. alii vertunt: *in thesauris tuis*. Hebræus: *in utero tuo*. ubi thesaurus ibi cor, ubi cor, ibi oculi. lacrymas pœnitentis Davidis in utero, in pectore suo Christus posuit, easque cum sanguine obtulit, oblaturus & nostras. ò lacrymas pretiosas!

Hæc ipsissima causa est, cur Spiritus Sanctus dicatur pro nobis postulare *gemitibus inenarrabilibus*, non quòd ipse gemat, sed gemere nos faciat, ut pretium addat lacrymis. Dixit author ingeniosus tres Sponsas habere Spiritum Sanctum. prima est Virgo Virginum. Secunda, aqua baptismalis quæ nos Virgines facit. tertia, aqua lacrymarum, & hæc videtur Sponso quoque gratissima. *congregationes aquarum vocavit MARIA* Gen. I. v. 10. *nomen Virginis MARIA* Luc. I. v. ut videas, quomodo Spiritus Sanctus non contentus possidere *MARIAM* in Sponsam & viventium omnium matrem, aliam sibi insuper nascituris prolibus Sponsam addiderit. *Aquam baptismalem*, de qua Veritas Joann. 3. v. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in regnum DEI*. Desponsavit se *MARIÆ* ut in ejus visceribus ef-

§. 7.
Lacrima
est Sponsa
Spiritus
Sancti.

forma-

formaret humanitatem Verbo. De-
sponsavit se Aquæ baptismatis, ut
reformaret humanitatem nostram
& regeneraret adoptivos DEi filios.
nisi quis renatus fuerit. quisquis à
baptismate in mortale peccatum
cadit, vitam gratiæ amittit, quam
per baptismum recipere non po-
test, quid ergò faciet? ad Aquas la-
crymarum deferendus & immer-
gendus est, inde renascetur in spem
filiorum, adeoque & tertiam hanc
suam fœcundus salutis nostræ geni-
tor, Sanctus Spiritus voluit habere
Sponsam, aquam scilicet lacryma-
rum, quæ vicem obeunt baptisma-
tis juxtâ id S. Chrysostomi: *Anima
lacrymis baptizatur.*

Chrysost.
homil. 6.
de pœnit.

§. 8.
Lacrima
baptismo
efficacior.

Quin majorem nonnunquam
conferunt gratiam, quàm baptisma
ipsam juxtâ id S. Bernardini Serm.
I. in Octav. Paschæ: *puriores ali-
quando exeunt mentes ab aqua lacry-
marum, quàm aqua baptismali,* nam
hæc primam gratiam communicat,
illa autem & primam restituit, & no-
vam insuper infundit, eoque largio-
rem quò ardentior fuerit cordis af-
fectus. Largitas verò illa in eo
consistit, quòd peccatori insuper
palmam martyrii conferat, & ad al-
tiorum dignitatis gradum evehat,
primum asseruit Chrysostomus, se-
cundum in lacrymante Petro de-
monstravit Ambrosius. ille verbis
sequentibus: *si grandis est gloria
Martyrum, cum hi pro Christo sangui-
nem fundunt, non est minor gloria
peccatorum, cum hi pro Domino la-
crymas spargunt.* quid clarius? iste
verò lib. de pœnit. Petri: *Vide
quantum stetus profuit Petro: ante-
quam steteret, lapsus est, postquam fle-
vit, ereptus* (firmatus, & confirmandis
fratribus Luc. 22. v. 32. destinatus)
*est. ante lacrymas prævaricator ex-
titit, qui post lacrymas est pastor as-
sumtus: & alios regendos accepit, qui
antea seipsum non rexit.* imò & Co-

S. Chry-
sost. in
Eli. 50.

rollam Virginitatis in lacrymis pro-
bat iterum Chrysostomus, & Ma-
gdalenam statuit in exemplum.

Non satis est Magdalenam fu-
is baptizari in lacrymis. quid? in-
terpellas, baptizari? ita omninò re-
ponit S. Laurentius Novariensis:
*fontem traxit baptismatis de pedibus
Salvatoris.* patrinus fuit Christus,
qui eam de Sacro fonte levavit:
Vade in pace: non defuit fax, quam
Amor prætulit: *dilexit multum;*
adfuit & unctio, quia *attulit alaba-
strum unguenti.* & quia adulta fuit
fidem actualem elicit: *fides tua
te salvam fecit.* accepit nummum
gratiarum, indulgentiam plenari-
am: *remittuntur ei peccata multa,*
non satis, inquam, fuit Magdalenam
baptizari in lacrymis, nisi & perdi-
tam Virginitatis aureolam reciperet
in his aquis. loquatur os aureum:
*accessit meretrix & facta est virgo, ac-
cessit lugens & facta est prima Virgo,*
ideo in Litanis omnibus Virginibus
præponitur.

Satis jam de liquidis lacrymis,
sed quid dicemus de ficcis? sunt
multæ animæ steriles, ad lacryman-
dum omninò ineptæ; vellent fle-
re, non possunt. ex pumice aquam
citiùs elicies, fontem aquarum ex
silice Moyses priùs educet, quàm ut
lacrymulæ guttulam suis ex oculis
lucrentur. num tales infelices? imò
verò terque quaterque felices, quia
majus habent meritum, eò quòd
careant solatio & fructu lacryma-
rum, quæ est voluptas quædam:
*est quædam flere voluptas: lacrymæ
meæ solatio mea: his pascor, his recreor,*
ait Symmachus lib. 9. Ep. 79. De-
inde diutius servatur, quem alio-
quin lacrymæ exhauriunt: nam:
egeritur lacrymis digeriturque dolor.
Indicium prætereà est intensissimi
& virilis doloris, unde de Deipara,
cujus contritio instar maris, ait Gre-
gorius: *stantem lego, stentem non in-
venio.*

§. 9.
Resolvitur
primaria
quæstio.

Homil. 47.
in Matth.
Basil. ho-
mil. de
grat. a8.

venio. Cœlum quamdiu atra sub nube prægnantem servat tempestatem, omnibus horrore est, posteaquam verò flere, pluere inquam, cœpit, bonam secuturæ serenitatis spem facit. Similiter post, *lacrymarum pluvias*, ut habet S. Chrysostomus, *serenitas mentis atque tranquillitas.* Magni Basilii maximum est effatum; *no vimus non paucos, videntur distillarent lacrymas sibi temperasse, bi quidem in varios & immedicabiles affectus inciderunt, ceu sunt apoplexia & paralyfis.* nimirum ut eleganter frater Basilii Gregorius Nyssenus: *vulnerum animæ tanquam sanguis lacrymæ sunt;* non illi soli Martyres, qui fuderunt sanguinem, sed magis Martyres, qui suo suffocati in sanguine. Martyrium animæ est dolor siccus. dolet enim ob rem charam, & dolet se non dolere magis. Sicco pede transire mare miraculum est, ausim dicere miraculum doloris est dolor siccus.

§. IO.
Lacrima
sicca superat
liquidam.

Quare nemo desperet, nemo mereat, quòd flere non possit. Perfecta contritio sine lacrymis est, non requiritur ad perfectam poenitentiam dolor sensibilis, sufficit voluntas averfa à peccato & detestans illud. Lator in cruce non flevit & citius quàm Magdalena obtinuit remissionem. publicanus non flevit & plusquam plorans Petrus à Christo laudatus est. Christus non nisi ter flevisse legitur, intensissimè tamen nunquam non doluit nostris de peccatis. DEUS ipse defacto detestatur omnia peccata, & Sancti omnes cum illo peccata sua & aliorum, (quæ detestatio si in nobis foret, sufficeret ad nos sanctificandos,) & tamen non flent neque flere possunt, quia DEUS absterfit omnem lacrymam ab oculis eorum. Flevit Esau & gratiam non invenit, prout de eo Apostolus Hebr. c. 12.

v. 17. *non invenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Similiter flent multi crocodili lacrymas. lacryma terræ admixta fit lutum. Sordidantur lacrymæ, quæ vel ex futili causa funduntur, vel postquam fusæ sunt, seriam poenitentiam & morum emendationem non inferunt. *qui admissum plangit, nec tamen deserit, ante DEi oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.* S. Gregorius 3. pastoral. adm. 31. de quibus Petrus Blesensis & Guil. Pepinus illud accipiunt Ps. 31. v. 6. *in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*

Non fidamus proinde lacrymis, sed dolori serio affvescamus & sæpè repetamus: Doleo Domine quòd toties impudenter peccando causa fuerim dolorum tuorum, & magis doleo, quòd non satis doleam, non satis amem, quem tamen totis viribus amare desidero, & ecce conor! suppleant dolores tui defectum meum, & accipe odium illud tuum loco illius, quod non habeo, sicut deberem ac vellem. Peccavi! amplius dicere volo, sed non valeo: miserere! ah amplius lava! & miserere.

Pro emblematio fingamus scriniolum regium gemmulis foris exornatum, intus verò unionibus & altissimi pretii clenodiis refertum cum lemmate: *quæque latent, meliora puta.* vel apud Chymicorum foculos profluentem aut evaporantem liquorem & spiritum perpendamus cum epigraphe: *quod manet, hoc melius.* Meliores lacrymæ sunt quæ latent in cordis penetralibus quàm quæ patent in genis; efficaciores lacrymæ sunt quæ ad focum Amoris servantur in evaporatorio pectoris, quàm quæ per oculos destillant ac evaporant.

§. II.
Emblema.